



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 3. Vtrum Laicus possit baptizare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

sed quia redditur idoneus, cui id possit committi tanquam extraordinario.

Sine eâ si solemniter baptizet, sit irregularis.

Quod si absque commissione baptizet solemniter, fiet irregularis, tanquam exercens actum Ordinis alieni; vt docent communiter Doctores ex Cap. 1. de Clerico non ordinato. quod est Hormisdæ Papæ. Glossa in Canonè Diaconis. dist. 93. excipit casum necessitatis; tunc enim posse Diaconum suo iure baptizare, & corpus Christi erogare. Sed cum nulla sit necessitas solemniter conferendi Baptismum, verius est etiam tunc fieri irregularem. Adde tamen, neminem, siue Clericum, siue Laicum, fieri irregularem, si baptizet absque solemnitate, quamvis id extra casum necessitatis, aut præsentem Sacerdote, ius alterius illicitè usurpans, faciat. Docet Panormitanus in cap. illud primum. Et Nauarrus cap. 22. Enchiridij n. 7. & cap. 27. num. 242. Ratio est; Quia, vt sic datur, non est actus Ordinis.

2. Solemnis baptismus non potest subdiacono committi, nisi à solo Papa.

Petes, An Subdiacono possit committi solemniter Baptismus? Respondeo, Non posse à Presbytero vel Episcopo committi; quia est contra iura. Potest tamen à Pontifice; quia hæc solemnitas consistit in cæremonijs, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ. Vnde per eum, in quo est plenitudo Ecclesiastica potestatis, potest etiam Subdiacono concedi, sicut & Diacono.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad officium Sacerdotis pertineat baptizare?

3. Contenti id sacerdoti ex officio.

Respondeo, Sacerdotibus id continere ex proprio officio, & ordinaria potestate. Patet ex Concilio Florentino: *Minister (inquit Concilium) huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Dices Primò, Ergo infans poterit cuius Sacerdoti offerri, similiter Paganus.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia idè tantum dicitur Sacerdoti ex officio hoc cõuenire, quod non requirat alium Ordinem, vt sit proprius minister Baptismi; sed per Sacerdotium habeat omnem potestatem Ordinis ad hoc Sacramentum requisitam. Requiritur tamen præterea iurisdicctio; quia soli Pastores Ecclesiæ possunt admittere ad Ecclesiam, & populum Sacramentis & verbo Dei pascere, vel illi, quibus id ipsi commiserint.

Eget tamen ad hoc iurisdictione.

Infans ergo offerri debet Pastori parentum; hic enim ratione parentum, habet ius in illum. Paganus autem alicui ex Ecclesiæ Pastoribus maioribus vel minoribus. Vnde Sacerdos non Parochus, non potest baptizare sine necessitate, vel sine commissione proprii Pastoris; vt fatentur omnes: & colligitur 16. qu. 1. Can. *Interdicimus*. Si tamen faceret sine commissione, non fieret irregularis; quia etsi sit vsurpatio iuris alieni, non tamen alieni Ordinis.

Absque eâ si baptizet, non fiet irregularis.

Dices Secundo, Patres docent Sacerdotem nõ posse solemniter baptizare sine Episcopi auctoritate. Tertullianus lib. de Baptismo; *Dandi quidem Baptismum (inquit) ius habet summus Sacerdos: dehinc Presbyter, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Et Hieronymus Dialogo contra Luciferianos: *Inde venit, vt*

sine Chrismate & Episcopi in unctione, neque Presbyter neque Diaconus ius habeat baptizandi.

Respondeo, Hoc videri intelligendum de Sacerdote consecrato præcisè secundum suam ordinationem. Etsi enim ex sua ordinatione habeat plenam potestatem Ordinis ad Baptismum (in quo differt à Diacono;) tamen non habet iurisdictionem in populum, quam debet accipere ab Episcopo; & in hoc est similis Diacono.

ARTICVLVS III.

Vtrum Laicus possit baptizare?

Respondeo, In necessitate posse Laicum baptizare. Est definitum in Concilio Eliberitino can. 38. & Florentino in decreto vnionis, vbi sic dicitur: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus, & mulier, imò etiam Paganus & hereticus baptizare potest; dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod Ecclesiæ facit.* Idem docent Tertullianus & Hieronymus supra, qui etiam rationem adferunt; quia quod ex æquo accipitur, hoc ex æquo dari potest. Vide Capitulum *Constat*. de Consecratione. distinct. 4. ex Isidoro, & Capitulum *In necessitate*. ibidem.

4. Laicus in necessitate potest baptizare.

Confirmatur ex Scriptura: Quia Apostoli baptizarunt, cum adhuc essent Laici; vt patet Ioannis 4. Et Ananias qui Paulum baptizabat, Laicus fuisse videtur; vt alicubi testatur Clemens Romanus. Ratio est, quia decuit vt Sacramentum tantæ necessitatis non adstringeretur certo ministro; quam ob causam etiam in materia communissima institutum est. Contrarium sentit Caluinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 20. Sed sine ratione; cum omnes ministri Caluinistæ sint Laici: & ipsè doceat Sacramentum solum excitare fidem, quæ etiam à muliere per verbum Dei potest excitari.

Exemplo Apostolorum & Ananias.

Caluinus negat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Mulier possit baptizare?

Respondeo posse in necessitate. Definitum est ab Urbano Papa II. qu. 3. Can. *Super quibus*. Et in Concilio Florentino. Sic in veteri testamento mulieres in necessitate circumcidebant: vt patet Exodi 4. vbi Sephora, cum Angelus vellet eam, vel Filium eius, vel vt alij volunt, Moysen occidere, circumcidit Filium suum.

5. Mulier in necessitate potest.

Aduertendum tamen, Mulierem non posse baptizare in necessitate, si præsens sit vir, nisi fortè ipsa sit obstetrix & peritior: nec Laicum, si adfit Clericus: nec minorem Clericum, si adfit maior; iuxta communem sententiam Doctorum. Huius tamen Ordinis inuersio non censetur peccatum mortale (nisi fortè Sacerdos negligatur;) quia nõ est officij alieni vsurpatio, eum nemo ex inferioribus absolutum ius aut officium habeat; sed solum est quædam indecentia. Secus est si Sacerdos omittatur, quia ei ex officio competit: qui etiam sine causa non potest Diacono facere potestatem baptizandi, licet sine solemnitate, propter honorem Sacramenti; multoq;e minus laico.

Ordo inter eos, qui baptizare possunt.

ARTI-